



XL.

DEO AVSPICE
DISPUTATIONE HISTORICA,
CN. POMPEII MA-
GNI EXPEDITIONEM
IVDAICAM,

Sive
Initium ablati ab Iuda sceptri,

In Fridericiana Academia

SVB PRAESIDIO
CHRISTOPHORI CELLARII,
Eloq. & Historiar. P. P.

D. XX. Decemb. horis locoque solitis

Examini proponet

CHRISTIANVS GABRIEL Friedel/
Scaudicio-Cizensis,



HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHRISTOPH SALFELDRUM. ELECT. BRANDENB. Typ.

VIRIS

*ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, ET SVMME
REVERENDIS,*

DOMINIS

PRAESIDI, PROPRAESIDI,

CONSILIARIIS ET ADSESSORIBVS

CONSISTORII SAXONICI IN

EPISCOPATV NVMBVR-

GENSI,

PATRONIS ET MAECENATIBVS MAXIMIS,

SUBMISSA REVERENTIA

COLENDIS,

HOC EXERCITIVM ACADEMICVM

OBSERVANTIAE CAVSSA

CONSECRAT

CHRISTIANVS GABRIEL Friedel.

33



Duum propitio coelo beatum istud sæculum exortum esset, quo humani generis Seruator in conspectum hominum prodiret, & homo ipse factus cum hominibus versaretur; *percrebuerat Oriente toto, vt Suetonius Vespasiano cap. i v refert, vetus & constans opinio, esse in fatiis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Diuinum oraculum fuisse, sacris illis litteris consignatum, quarum Iudæi custodes erant; nec Tacitus, profanus quidem at fide dignus homo, nos finit dubitare. Libro enim v Histor. cap. xiii, vbi idem vaticinium attingit, *antiquis ait sacerdotum litteris contineri.*

II. Vir summus Isaacus Casaubonus in d. l. Suetonii ad illud Michææ v refert, quod Matth. ii cap. repetitum scimus, *ὅτι ἐξελύσεται ἡ γῆ*; motus, vt apparet, historicorum consensu, quod vterque, Tacitus & Suetonius, eodem verbo *Iudæa profectos rerum potituros* tradidissent. Sane verbo *profiscendi ἐξέρχου*, quo LXX h. l. & Apostolus vsi sunt, & ipsum, quod in fonte est, *ἐξίρει*, non male nec coacte conuenire potest: quum vero & temporis notam oraculum illud expressam habeat, quæ in Michææ verbis non clare conspicitur; originem rumoris, qui Orientem peruaserat, aliunde demonstrare, pretium, vt puto, non nullum operæ erit. Suetonius enim clare addidit **EO TEMPORE, & Tacitus, EO IP SO TEMPORE fore, vt Iudæa profecti rerum potirentur.** Hegesippus quoque lib. v cap. XLIV prædictum fuisse scribit, **SECUNDVM ILLVD TEMPVS futurum esse, qui de regione Iudæorum imperium adsumeret in orbem terrarum.** Malim ad patriarchæ supremam vocem **NON AVFERETVR SCEPTVM DE IYDA**, referre, quod ibi etiam secundum LXX interpretes *ἡ γῆ*, *dux & dominator*, Iudæis ptomittitur, qui sit *Schilab*, hoc est, vt Targum Onkelosi vertit, *משׁיחׁ* *Mes-*



23
fias; aut Ionathanis & Hierosolymitanum, מלך מלכות Rex
Messias: & simul tempus, quo venturus sit, accurate definitur,
quum sceptrum de Iuda ablatum fuerit.

III. Iudæorum regnum a Babylonio monarcha destru-
ctum fuisse, & Persas illis reddidisse quandam rempublicam, ne-
mo est qui ignoret. Qui ex Babylonia Iudæi reuerterant, ma-
gnis quidem immunitatibus, Persarum indulgentia, fruebantur,
non autem ita liberi penitus erant, vt nullum munus subiectionis
liberatoribus deberent. Dario sane, vltimo Persarum regi,
pontifex Iudæorum ὄρκους ἐν δεδωκώς, iure iurando obstrictus fuit,
vt ipse apud Iosephum xi Antiq. Iud. cap. vii i fatetur: nec ab A-
lexandro, Persarum victore, perpetuam, sed septimi tantum anni
immunitatem (ἑβδομῶν ἐτῶν ἀνεῖσφορον) petebat. Mor-
tuo Alexandro, & diuisis inter duces prouincijs, in Lagidarum,
hoc est Aegyptiorum regum potestatem Iudæi venerunt, duri-
us habiti a Ptolemæo primo, qui plures αἰχμαλώτους, captiuos, in
Aegyptum deduxit, vt ibidem sedem figerent, aut castella regia
custodirent, quod idem Iosephus ineunte libro xii memorauit.
Bellis autem inter Aegypti atque Syriæ reges exortis, Seleucida-
rum ditionis Iudæi facti, a Seleuco Philopatore, Antiochis Epi-
phane atque Eupatore, nec non a Demetrio Sotere aliisque mul-
ta & graua damna acceperunt,

IV. Num vero sceptrum in his calamitatibus seruatum
Iudæis fuit? Absit, vt de oraculi veritate dubitemus, cui cum hi-
storia rerum omnino conuenire necesse est. Regalem quidem
dignitatem & diadema, vt Ambrosius in Lucæ cap. iiii obseruat,
captis Iechonia & Zedekia vltimis regibus, tribus Iuda in tantum
amisit, vt nullo posthac tempore recuperaret. Qui enim post
captiuitatem Iudæis præfuerunt sacerdotes Hasmonæi, ex alia,
quam Iudææ tribu, suum genus deducebant, quibus deficientibus
illuxit illud auspdatum tempus, quod votis & desiderijs sancti
patres expectauerant. Nec vero vis oraculo illata, quum sacer-
dotes rempublicam administrarent. Nam siue שבט tribum,
vt multis placet, siue sceptrum & regiam virgam interpretamur,
bene diuinæ prædictioni & seculari historiæ inter se conuenit,
quod



quod Iudæ posteris, et si Beniamitis atque Leuitis permisti, dignitatem & prerogatiuam tenuerunt, ut illorum nomen euilesceret, Iudeorum solum ubique valeret, & ipsi principes Hasmonæi se Iudæos appellare non erubescerent, quod Eusebius lib. III Demonstr. Euang. p. 95 θαυμασῶς ἢ προφητικῶς, mirando & prophético modo ita factum dicit, ut alia etiam tribus imperantes sub Iudæ nomine laterent, propter eximiam βασιλικῆς Φυλῆς, regalis huius tribus prerogatiuam, qua nomen suum toti genti esset impositura. Cetera priuilegia ipse lib. VIII eiusdem operis p. 376 enarrat, quæ breuitatis studio intacta nunc præterimus.

V. Quid? quod Iustinus Martyr, antiquissimus facile Christianorum, qui post Apostolos aliquid litteris mandauerunt, Dialogo cum Tryphone Iudæo p. 272 vocabulum טבש (quod LXX ἀρχων, Aquila σκήπτρον, Symmachus ἐξουσία, Hierosolymitanus Targumista מלכין; iunior Jonathan מלכין וישיבין reges & dominatores, verterunt) tam laxè interpretatur, ut non tantum βασιλεῖς, reges, verum etiam κυρίους, ἀρχοντας, ἡγεμένους, aut quocunque nomine imperantes sint, contineantur. Sed non est nostrum oraculi verba interpretari, quod aliis relinquimus: sufficit ex antiquorum monumentis ostendisse, prædictionem historię nostræ non repugnare. Vnum adiicimus Hugonis Grotii ex commentariis suffragium, quod forsitan illustrandæ historię aliquid conferre potest. Sub Hasmonæis, inquit, imperium penes Iudam fuit non minus, quam penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis. Intercisiones fuere breues, si ad spatium annorum prope MD comparentur, atque ita etiam LXX captiuitatis annos interpretatur, quibus sine sceptro Iudæi, non autem sine spe recuperandi, propheticis testimoniis sustentata, vixerint. Prius de aliena tribu ex Eusebio hausit Demonstr. Euangel. pag. 373; posterius ferme ex Iustino Martyre contra Tryphon. c. I. Adde Casaubonum Exercit. I in Baron. cap. II & III.

VI. Sed satis de iis, quæ historiis explicandis præmittenda videbantur, quas non longius, quam ab Hasmonæis ducibus in præsentia repetemus. Hos principatum cum sacerdotio coniunxisse, & a Seleucidis vexatos, tandem in libertatem se vindicasse,

casse, percusso cum Romanis Spartanisque fœdere, ex Macca-
bæorum & Iosephi monumentis constat. Ex eo tempore Pon-
tifices fuerunt supremi principes, nemini mortalium subiecti,
sed sine diademate ac regali dignitate, quam in hac gente primus
post Babyloniam captiuitatem Aristobulus, Ioannis Hyrcani fi-
lius, adsumsit, huncque sequuti frater Iannæus Alexander, & fra-
tris huius filii Hyrcanus ac Aristobulus, sed infelici hi discordia dis-
fidentes, constanter sunt imitati. Mater horum Alexandra, Hyr-
cano sacris præfecto, ix annis rempublicam rexit: qua defuncta
Hyrcanus cum fratre minore controuersiam habuit de regno,
qui multorum sibi studium consequutus maiorem fratrem & re-
gno & pontificatu eiecit, quo ad Aretam, Arabiæ regem, confu-
gente, victus ab Arabe Aristobulus, occasionem dedit, vt liber-
tas, qua vsi adhuc fuerant, ab Iudæis auferretur. Quæ plenius Io-
sephus sub initium XIII libri enarravit.

VII. Iisdem temporibus, Mithridate victo, Cn. Pompeius
Magnus contra Armeniæ regem Tigranem bellum gerebat, vnde
in Syriam, quam Tigrani ademit, Scaurum præmisit, apud quem
per legatos utroque fratre, Hyrcano & Aristobulo, conque-
rente, Aristobulus Romanis copiis adiutus, fratrem & Aretam
vno prælio vicit, sed Pompeio adueniente Aristobulus, quum
pecunias, quas promiserat, prohibitus ab Iudæis, exsoluere non
posset, in custodiam a Pompeio datus, & Hierosolymis tum pri-
mum Romanus exercitus admotus fuit. Intus autem dissidio ex-
orto, qui Hyrcano studebant, Romanos intra mœnia admiserunt,
ceteris in templum confugientibus, quod quia natura & arte mu-
nitissimum erat, multum negotii Pompeio expugnanti fecit, adeo
vt vix *τὸ ἐν τρίτῳ μῆνα*, tertio mense, sicut Iosephus cap. VIII d. I.
ait, seu ut Ben Gorion cap. xxxix tradit, *בחרש הרבעי* mense
quarto, hoc est, post trimestrem obsidionem expugnarit, neque
tum expugnare potuisset, nisi sabbato die, quo Iudæi feriantur, nec
repugnant obsidioni, valle aggeribus planata, in munitiones ir-
ruisset. Quod præter Iosephum etiam Dio Cassius lib. XXXVII
notauit, atque ita Cn. Pompeius, vt idem ait p. 36, *τὸ ἱερὸν οὐκ ἀπό-
νωσ ἔειλε*, templum non sine magno labore cepit.

VIII. Ca-



VIII. Captum templum Pompeius *victoria iure*, vt Tacitus ait lib. v Hist. cap. ix, *ingressus est*, & ea vidit, quæ videre fas nemini erat, præter sacerdotes, quod ægre Iudæi ferebant, prohibere autem non poterant. Nihil vero ex sacris thesauris Pompeius abstulit & *ἐχ' ἡΐατο δι' εὐσεβείαν*, ne attigit quidem *praepietate*, vt Iosephus lib. xiiii cap. viii iudicauit, quod Cicero pro Flacco cap. xxviii alii causæ tribuit. Pompeius, inquit, *captis Hierosolymis*, victor ex illo fano nihil attigit; quod ait sapienter factum, ne sermoni obtrektorum locum daret: non autem credit, religionem Iudæorum impedimento, sed imperatoris pudorem fuisse. Quoquo autem animo intactam illam gazam reliquit, sua laude non destituendus est; Crassus e contrario vituperandus, qui contra iusiurandum, cui se obstrinxerat, omnia, quæ intus in templo erant, rapuit: de quo Iosephus lib. xiiii Antiq. cap. xii consulatur. Quum ergo tanta fuerit Cn. Pompeii continentia, mirari omnino subit, quo auctore Gorionides Ebræus d. l. scripserit, Pompeium misisse ante oppugnationem, qui *vasa & lapides pretiosos* acciperet *אשר היהוה ה' בירושלם* ex templo Dei, quod Hierosolymis est. Vetus enim & Græcus Iosephus libro sæpius dicto cap. vii nihil memorauit, quam Aristobulum promississe *χρήματα*, pecunias, & Gabinium missum fuisse a Pompeio *ἵνα τὰ χρήματα* templi & sacrorum nulla facta mentione.

IX. Quum vero inanem Gabinium Iudæi remisissent, Pompeius Aristobulum, quasi elusus ab eo, *ἐν φυλακῇ κατέστησε*, in custodiam dedit, & quod Ebræus Ben Gorion addit, *בנחישותים* & *catenis eum constrinxit*. Tunc urbem oppugnatam accessit, eiusque deditione facta, templum, quod Aristobuli fautores tenebant, vi expugnauit. Sic sceptrum a Iudæis auferri cœpit, quum vterque rex & templum, quod eis sanctissimum, in potestate Romanorum esset. Pompeius Hyrcano *τὴν ἀρχιεροσύνην ἀπέδωκεν*, pontificatum reddidit, vt Iosephus xiv Antiq. cap. viii adnotauit, nec idem lib. i. Belli Iud. cap. v. plus dixit, quam Hyrcanum *ἀρχιερέα* pontificem a Pompeio declaratum esse. An vero etiam regnum Hyrcano restituit? negant multi. Carolus Sigonius, vir eximius in antiquitate historica, lib. vii de Rep. Ebr. cap.



cap. iv, Pompeius, inquit, Aristobulo rege capto, Iudam occupavit, & in provincia formulam redegit, atque ei procuratorem Antipatrum Ascalonitam imposuit. Si coniectura locus est, Ammianum Marcellinum Sigonius sequutus videtur. Is enim lib. xiiii cap. xxvi Pompeius, inquit, Iudaeis domitis & Hierosolymis captis in provinciarum speciem, rectori delata iurisdictione, formavit. Nec aliter Henr. Valesius f. 43 Marcellini verba interpretatur, quam Iudaeam a Pompeio captam & in provincia speciem redactam esse, eamque opinionem cum indignatione tuetur contra dissentientes. Idem Sigonius in Sulp. Severi lib. ii f. 874 Iudaea [Pompeius] procuratorem reliquit, ita tamen, ut praetori aut proconsuli Syriae obediret. Quod & Iosephus videtur approbasse, Syriam & Iudaeam Pompeium Scauro διέπειν, administrandam dedisse, lib. i. de Bello cap. v. extr. professus. Alii vero, & in his Casaubonus maxime, ante Archelai relegationem, provinciam Iudaeam factam esse, strenue negant, quando primus procurator Coponius eo anno fuit constitutus, quo Quirinius proconsul Syriae factus fuit, quod ex Iosephi lib. xviii ineunte manifestum est. Vbi enim reges & ethnarchae relinquuntur, quos tamen ad extrema Augusti toleratos scimus; provinciae Romanae forma locum non potest habere. Scauro non eodem modo Pompeius Syriam & Iudaeam commisit, sed illam, ut provinciam; hanc, tanquam ex Syria, si opus foret, defendendam. Quid? quod procuratoris nomen, quoad libera respublica Romanorum stetit, in provinciis auditum non fuit. Antipater amicus regis Hyrcani iam ante Pompeii adventum fuerat, quo postea, per Pompeium restitutus, ministro in rebus gerendis ut plurimum usus est. Vid. Ioseph. lib. xiv cap. ii & v. Sed longe diuersa ratio illorum fuit, quos procuratores provinciarum Caesares vocauerunt.

X. Alii praeter pontificatum, etiam regnum Hyrcano concessum fuisse non dubitant. Dio Casius d. i. clarissime p. 37, ἡ τε βασιλεία Ἰρκαίνω ἐδόθη, regnum Hyrcano redditum, quum Aristobulus Romam abduceretur. Et ipse Iosephus vel solo cap. viii lib. i. Bell. Iud. ter quaterue Hyrcanum βασιλεία, regem vocat,

vocat, post Pompeii discessum, quum civili iam bello cum Cæsare certaret. Nec aliter R. Ganz in Zemach David p. 33 ed. Prag. **וימליך פוספיוס את הורקנוס למלך על כל ישראל** Pompeius Hyrcanum regem totius Israelis constituit. Iacobus quoque Cappellus sub finem Hist. Sacræ & Exoticæ, Pompeius sacerdotium & regnum restituit. Casaubonus quidem ad Baron. Exerc. i. num. xxx rem fatetur; nomen & externam dignitatem negat. *Palestina*, inquit, *Hyrcano permissa: verum honos regii nominis ademptus.* Sed Iosephum nomen regis non semel Hyrcano vltimis Pompeii temporibus tribuisse, supra ex lib. i. de Bello Iud. probauimus. Iacobus Vsserius, Armachanus archiepiscopus, in Annal. p. 261 eodem ferme modo: *Cum pontificatu principatum quoque sue gentis (Hyrcanus) accepit: sed diadema eum ferre Pompeius vetuit.* Velim vterque, ut fecerunt alibi, etiam heic adnotassent, quo veteri scriptore confisi de Hyrcano ita sentirent. Iosephus lib. xiv cap. xvii Cæsaris dictatoris litteras, & decretum æri incisum profert, quibus Hyrcanus ἀρχιερεὺς καὶ ἑθναρχῆς, pontifex & ethnarcha, Pompeio iam extincto, vocatur & confirmatur. Et Cæsare interfecto Dolabella, quum Asia præesset, litteris ad Ephesios magistratus, Hyrcanum non regem sed pontificem ac ethnarcham vocat, quod ibidem quoque Iosephus recitauit. Scilicet *Ethnarchæ* nomen minus, quam *Regis*, apud Romanos erat, & lib. xvii cap. xiiii ineunte Iosephus tradit, ab Augusto Archelaum, Herodis filium, ἑ μὲν βασιλέα, non regem, sed tantummodo ἑθναρχῆν constitutum esse: promissum autem eidem, tunc ἀξιώματι βασιλέως, regis titulo etiam ornatum iri, ἵνα περ εἰς αὐτὴν ἀρετὴν προσφέροιτο, quum meruerit.

XI. Sic cognouimus, quo in honore dictator Cæsar, & post eum Dolabella, Hyrcanum Iudæorum principem habuerint: quo loco apud Pompeium fuerit, tam liquido nobis non constat, nisi quod βασιλείαν, regnum, ei Pompeium reddidisse supra ex Dione adprobauimus. Qui Antiocho Commageno & multis aliis Romanorum clientibus *Regis* nomen relinquere non dubitauit; non puto eum pariori liberalitate erga Hyrcanum exstitisse. Nec enim testimonia nobis deesse possunt, quibus probari videatur,

B etiam



etiam post decretum Iulii Cæsaris Hyrcano Regis nomen in gente
sua tributum fuisse. Supra ad libri i. Iosephi de Bello caput viii
prouocauimus, quo sæpenumero Rex Hyrcanus appellatur: nunc
addo, quod ibidem amici Hyrcano subgesfisse feruntur, nisi cre-
scenti potentia Antipatri resistat, fore, vt τὸν ὄνομα μόνον βασιλέ-
ως, ἔρημον ἐξουσίας, nudum nomen Regis, vacuum potestate possideat.

XII. De Antipatro, quem *prouincia Iudææ, procuratoris* no-
mine, Pompeium præfecisse, supra Sigonius dixerat, nunc vt di-
spiciamus, non alienum erit a proposito. Nec solus Sigonius,
sed ex veteribus etiam Sulpicius Seuerus lib. ii cap. xxv i idem
tradit, Antipatrum a Pompeio Iudææ procuratorem præpositum
esse. Fuisse autem amicū Hyrcani, antequam Romani in Palæstinā
venirent, & legatione pro illo ad Pompeium functū esse, n. ix supra
ostendimus. In eo gradu amicitia mansit apud Hyrcanum, post-
quam ex Iudæa Pompeius discesserat. Quum enim Scaurus, Sy-
riæ primus Romanorum præses, cum Areta Arabum rege bellum
gerens, frumento deficeretur, κατ' ἐντολὴν Ἰρκανῆ, iussu Hyrcani
Antipater & frumenta & alia necessaria attulit, Iosepho lib. xiv
cap. ix testante: quod idem lib. i de Bello cap. vi dixit δι' Αντιπά-
τρως, per Antipatrum, siue ministerio eius, Hyrcanum Scauro, quæ
ad victum pertinent, suppeditasse. Antipater etiam Cæsari Aeg-
yptum oppugnanti tria millia militum auxilio adduxit, sed ἐξ ἐν-
τολῆς, ex mandato Hyrcani, quod Iosephus notat lib. xiv cap. xiv.
Ergo tum subiectus Hyrcano Antipater fuit, eiusque in rebus ge-
rendis administer, quamuis Πριμελητής Ἰουδαίων, Iudæorum procura-
tor ibidem & sequenti capite dicatur, quod eo in administranda
republica Hyrcanus semper vsus fuerat. Quum vero Cæsar Hyrcano
pontificatum confirmasset; etiam Antipatrum ob rem ad
Pelusium præclare gestam, (restituta, quæ inclinabat, acie, & mu-
ro capiendæ vrbi perfracta, Ioseph. dicto cap. xiv) Iudææ Πρίτρω-
πων, procuratorem, quod proprium eius muneris vocabulum est,
declaravit; vt ibidem cap. xv extremo, & i de Bello cap. viii nar-
ratur. Nec vero Hyrcano hoc modo imperium omne subtractum
fuit, sed ipse Antipater eodem capite viii Iudæis rerum nouarum
cupidis, minatus dixit, si pergerent vana spe tumultuari, futurum
esse,

esse, vt Hyrcanum ἀντι βασιλέως, pro rege tyrannum, & se ἀντι κη-
δεμόν (quod mollissimum procurationis verbum est) δεσπότην
dominum experiantur. Atque ita nec auctus honoribus firmatus-
que a Cæsare regiam dignitatem Hyrcano abiudicauit.

XIII. Hæc sunt initia ablati sceptri ante Herodem, quæ
vt illustriora faciamus, ex sæpe laudati Iosephi lib. xiv cap. viii
adiungimus, Pompeium Hierosolyma, ὑποτελή φόρος *stipendiaria*
Romanis reddidisse, & breui tempore *plus quam decem millia talen-*
torum ab Iudæis Romanos exegisse, quibus immunitates & priui-
legia primum a Pompeio concessa, deinde aucta ab Iulio Cæsare
(vt supra ex decreto eius num x. ostensum) nequaquam repu-
gnant. Umbra enim libertatis fuit, quam Romani Iudæis relique-
runt; & regnum precarium, quo Hyrcanus & Herodes vsi sunt,
quum Tacito auctore Agricola cap. xiv, *vetus & iam pridem rece-*
pta populi Romani consuetudo fuerit, vt haberet instrumenta seruitutis &
REGES. Initium ergo ablati ab Iuda sceptri in eo tempore sta-
tuendum est, quo Pompeius templum expugnauit, Aristobulum
catenis strinxit, Hyrcanum rebus quidem præesse, sed vt clien-
tem Romani populi, permisit. Ipse Iosephus, quum illam Pompeii
victoriam descripsit, sæpe dicto cap. viii libri xiv hoc ingenue
confessus est, τὴν ἐλευθερίαν ἀποεβάλλομεν ἢ ὑπὸ ἡμοῖς Ῥωμαίων κα-
τέστημεν, *libertatem (Aristobuli & Hyrcani discordiis) perdidimus, &*
Romanorum imperio subiecti sumus. Quod Ebraeus interpres
sub finem cap. xxxix expressius ita transtulit: וְיָרְדוּ

וְיָרְדוּ
וְיָרְדוּ מִלְּפָנֵי הַמֶּלֶךְ הַרֹמַיִם *Ex eo tem-*
pore deiecti sumus de dignitate nostra, & humiliati sub potestatem im-
perii Romani. Non possumus, quin Germanicam translationem
adiiciamus ex p. 134 B. ed. Amsterd. vt elegantia sermonis patrii,
quo vtuntur hi homines, vna innotescat: Von demselbigen Tag
an und für bat / da seyn mir genidriget von unser Achbarkeit / und
wir seyn gewesen unterthänig / unter dem Gewalt des Königreich
Rom. Similia ferme in libro Iuchasin p. 15 A. leguntur.

XIV. Hæc de Pompeii expeditione, qua se subiugatos
fuisse ipsi Iudæi non diffitentur, vt adeo non audiendi sint, qui
demum ab Herode sceptrum Iudæis ablatum existimant. Eu-



sebius Hist. Eccles. lib. 1. cap. vi, facile princeps huius sententiae,
Quum Herodes, inquit, πρῶτος τὸ γένος ἀλλόφυλος primus gene-
re alienigena Iudaica gentis regnum obtineret, completa esse videbatur
Mosis predictio, quae sic habet: NON DEFICIET PRINCEPS DE
IUDA. Loquitur enim cum Graecis LXX, qui ὄψω verterunt non
sceptra, sed ἀρχῶν princeps. Sequuti sunt Hieronymus in Matth.
XXII, 16, & Sulpicius Severus lib. 11 cap. XXV 11, Herodem vo-
cantes alienigenam, & hic etiam externum regem, quasi prius com-
pleri vaticinium non potuerit, quam imperium gentis ad pere-
grinum hominem deuolutum esset. Quod si vero peregrinitas He-
rodus infringi potuerit, sponte ruet, quod ei impositum est, de ini-
tuo ablati sceptri argumentum.

XV. Iustinus Martyr contra Tryphon. p. 272 Herodem
Ascalonitam vocat, & Eusebius Demonstr. Euang. lib. VII 11. p. 374
ac Sulpicius Severus c. 1. patrem eius Antipatrum Ascalonitam, &
Iosephus lib. XIV cap. 11 Antipatrum Idumeum appellat, quae
quidem minus forsan inter se conuenire videbuntur. Idumæa
enim Iudææ ab Austro subdita, Arabiam Petram attingit; Asca-
lon autem ad mare sita est vrbs in termino occidentali. Sed laxi-
tum fines Idumææ erant ad mediterraneum vsque mare proten-
si. Plinius enim lib. V cap. XII 1, quum oram maritimam a Pelu-
sio per Ostracinen descripsit, subiicit principio cap. XII 11, *Μοχ*
Idumæa incipit: & Ptolemæus lib. V cap. XV 1 extremo Idumæam
ponit ὀπίθ' ὀρέως, ab occasu Iordanis fluminis, quod quidem ἀπί-
ρος dictum, vt tamen occiduum Idumææ situm, quod satis no-
bis est, perspicue declaret. Strabo clarius lib. XVI p. 523 *Iudææ*
ἐσπέρια ἄκρα, extrema occidentalia, Casio monti proxima, attingunt
Idumæi. Aut Idumæus dictus fuit Antipater, quia pater eius e-
iusdem nominis, Herodis auus, ab Alexandro & Alexandra, Iu-
dæorum regibus, constitutus erat στρατηγὸς ὅλης Ἰδουμαίας, præ-
fectus militiae per totam Idumæam, Iosepho prodente lib. XV cap. 11.
Nicolaus Damascenus, vt ibidem refertur, genus eius deducit ἐκ
τῶν πρώτων Ἰουδαίων, ex primariis Iudæis, qui ex Babylonia reuerte-
runt. Sed quia multa fecit scripsitque in gratiam Herodis Nico-
laus, cuius amicus erat & ad Cæsarem legatus; fidem clarissimi
scripto-

scriptoris quidem non fugillamus, nec vero tuto satis in illa inni-
temur. Esto ergo, Idumæum Herodem fuisse & Ascalonitam,
quam civitatem avus eius, quum Idumææ præesset, sibi concilia-
verat; tamen inde non probabitur, alienigenam Herodem & ex-
ternum regem, quod Sulpicius cum aliis volebat, exstitisse.

XVI. Etenim Idumæi iam olim adiuncti Synagogæ fue-
rant, admisso in se circumcisionis ritu, & aliis Iudæorum ceremo-
niis adsumtis, quum Hyrcanus Aristobuli, primi regis ex Hasmo-
næis pater, rebus Iudaicis præesset. Ex quo tempore factum
est, εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίῃς, ut Idumæi in posterum Iudæi censerentur,
Iosepho fatente lib. XIII cap. XVI I. Et Strabo lib. XVI. p. 523
de Idumæis, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις ἢ τῶν νομίμων τῶν αὐ-
τῶν ἐπιεικῶς ἐκοινωνήσαν, accesserunt Iudæis, etiam sacrarum illorum
participes facti. Qua de causa idem Strabo p. 426 Herodem,
Antipatri filium, ἀνδρᾶ ἐπιχώριον, indigenam vocat, non peregrini
generis hominem: & Hieronymus d. l. profelytum regem, quod
quidem alienigena, quem ibidem vocauerat, conciliari non potest,
Quis enim, (quod Scaliger dixit ad Euseb. p. 162) vetustissimos
profelytos unquam legit alienigenas vocari?

XVII. Ut suam sententiam confirmaret, Eusebius dicto
lib. I Hist. Eccles. cap. VI ex Africano admiscet, quibus peregrini-
tatem Herodis manifestissime putat demonstrari. Quæ quoniam
ab Ambrosio Latine repetita sunt (in Lucæ cap. III pag. 52) ex
eius interpretatione potius, quam Græce, recitabimus. Fertur, in-
quit Ambrosius, - - - quia Idumæi latrones Ascalonem urbem Pa-
lestina ingressi, de fano Apollinis, quod vallatum muris erat, Antipatrum,
Herodis cuiusdam hieroduli filium, inter alios abduxere captivum, quem
pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus disci-
plinis & mysteriis Idumæorum, Hyrcano Iudææ regi amicitia copulatur,
quem pro se ad Pompeium Hyrcanus legatum direxit. Sed fabulam
esse, quæ Africanus de Antipatri genere scripsit, in odium Herodis
confictam, cum Scaligero ad Euseb. Chr. p. 161. censemus, quia
Iosephus omnia his contraria docet, Herodi genus clarum vsque
ab avo, qui sub Alexandro, pontifice & rege, Idumææ præfectus
fuit, contigisse. De quo supra num. XV. diximus.



XVIII. Sed aiunt, qui alienigenam Herodem credunt, multa pagano more potius, quam Iudaico, egisse. At si ex moribus de origine iudicari liceret, quot quæso ex longa auorum serie Christianos possis gentilitatis arguere, quia peius quam pagani & gentiles viuunt? Deinde vrgent, Antigonom, quum ab Herode & Sofio obsideretur, populum admonuisse, ne Herodi urbem & regnum traderent homini *Idumæo*, τῆς ἐν ἡμετέροις, hoc est, *semi-iudæo*, apud Iosephum lib. xiv Antiq. cap. xxvii. Sed hoc hostis iurati conuicium est; non veritatis, vt vidimus, argumentum, quum a xc annis aut amplius omnes Idumæi Iudaicæ professionis & vere Iudæi fuerint. Iosephus pariter indignatione adductus lib. xiv extremo eundem dicit δαίνας δημοτικῆς καὶ γένους ἰδιοῦκός, *plebeia familia & privati generis*. Verum & hæc non aliter, nisi respectu sacerdotalis dignitatis, quæ nobilissima apud Iudæos erat, intelligenda sunt, quum claro Herodem loco natum fuisse, supra ex eodem Iosepho probauerimus. Quid multa? Idem Iosephus lib. xx cap. vi de Cæsariensibus Iudæis refert, in certamine cum Syris sibi primas partes poposcisse, quia Herodes, conditor ciuitatis, τὸ γένος Ἰουδαῖόν, *genere Iudæus fuerit*, & ipse lib. xv. cap. xiv Iudæos compellat, ἀνδρες ὁμόφυλοι, *viri eiusdem generis*. Ergo Herodes non ἀλλόφυλος, id est, alienigena siue peregrinus fuit.

XIX. Sic initium ablati Iudæorum sceptri a Pompeii victoria, nec demum ab imperio Herodis cœpisse, satis, putamus, demonstratum est. Licet vero per legem, quam ipsi nobis posuimus, non postulari a nobis possit, vt ultra principium, seu Pompeii expeditionem, in narrandis rebus progrediamur; quod tamen initiis lux etiam non parua accedit, si illis quodammodo adiiciatur, quis medius status, quis finis tandem rerum fuerit; breuissime tantummodo & per summa capita de illis quoque differemus, vberiorem deductionem in aliud tempus & opportunitatem reseruata.

XX. Initium, ut sæpe dictum est, a capto templo numeramus, per cuius munimenta primus irrupit Faustus, Syllæ dictatoris filius, ob id egregie ornatus a Pompeio: quæ gesta sunt M. Cicerone & C. Antonio coss. quod Iosephus obseruauit lib. xiv cap. viii. Ex eo tempore Hyrcanus reipublicæ vel vere vel titulo

nulo tenus præfuit, expulsus post XL annos ab Antigono, & auri-
bus præcisus in Parthiam abductus, quod Iosephus lib. xv cap. ix
plenius exponit. Herodes, Parthis Romanorum ope eiectis, & An-
tigono securi percusso, xxxiiii annos rempublicam vexauit ma-
gis quam rexit, de quo Iosephus lib. xvii cap. x. consulendus:
quibus si ix annos Archelai adiicimus, post quos in Galliam re-
legatus & Iudæa in prouinciæ formam redacta fuit; veniemus ad
alteram ablati sceptri periodum, quæ statum Iudææ prouincialem
tenet. Tunc enim Iudæa Romanos præfides habuit, seu *procura-
tores* Cæsaris, vt Tacitus illos proprio vocabulo appellat lib. xv
cap. xlii, vsque ad supremum tumultum, qui causa fuit ruinæ
atque euerfionis, quum Gessius Florus ab Iudæis pelleretur. Ter-
tia periodus habet Vespasiani Titique expeditionem, cum vrbs
exscidio & gentis dispersione. Consummata enim sceptri abla-
tio fuit, quando Titus & urbem & templum Hierosolymitanum
solo æquauit. Primam periodum Antigoni tumultus; secundam
Agrippæ maioris imperium postremum interrupit quodammo-
do, sed breve & vix memorandum erat, quod ex transuerso inter-
cucurrit. DEI autem misericordia est, quod ita sensim & pe-
detentim amouit, quæ vno impetu destrue-
re potuisset.

ADDITAMENTVM.

QUum humani generis Seruator homo Bethlehemi
nasceretur, *Cyrenium* quendam, sive, vt Romani vocant,
Quirinium Syriæ ἡγεμὸν εὐνοίας fuisse, ex sanctissimis & indubitatis
tabulis constat. Quis ille Quirinius fuerit, & quo officii genere de-
functus eo anno, si quid aliud ex vetustis historiis, difficile admo-
dum est explicatu. Iosephus, diligentissimus rerum Iudaicarum
scriptor, nihil de censu horum temporum aut de præsidatu *Quiri-
nii* commemorauit: xii vero post annos, Archelao in Gallias
relegato, *Quirinium*, quem mirifice laudat, in Syriam cum pro-
con-

23
consulari imperio missum esse, & simul Archelai bona percensu-
isse, idem ineunte lib. xviii Antiquit. Iudaic. refert. Hic fuit P.
Sulpicius Quirinius, quem Tacitus laudat iii Ann. cap. xlvi, qui
expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia trium-
phi adeptus, datusque rector C. Casari Armeniam obtinenti, Tiberium
quoque Rhodi agentem coluisset. At eo anno, quo mundi Salus in
lucem prodit, Sentius Saturninus Syriarum praeses siue proconsul
erat, ut non tantum ex Iosepho per successionem praesidum inde
a Pompeii victoria lucidissime constat, verum etiam Tertullianus,
antiquissimus Christianorum, qui latine scripserunt, lib. iv con-
tra Marcionem cap. xix confirmat. Censur, inquit, constat actos
sub Augusto nunc in Iudaeam per Sentium Saturninum, apud quos genus
eius (Christi) inquirere pagani potuissent. Cui eo magis decet nos
fidem habere, quo diligentior fuit in historiis huius rei perscru-
tandis, ut qui archiva etiam Romanorum perspecta habuerit.
Nam eodem libro cap. vii archiva Romana ait custodire censuram
Augusti, testem fidelissimum Dominicae natiuitatis. Quapropter cum
magnis viris Isaaco Casaubono in Exercit. ad Baronii Annales,
cum Iacobo Vsserio in Annalibus mundi p. 531, cum Henrico
Noris, Vaticanæ nunc praefecto, in Cenotaphiis Pisanis p. 321
censemur, Quirinium virum consulare, quod id temporis in O-
riente degeret, ac bellum contra Homonadenses feliciter confe-
cisset, in Syriam cum extraordinario imperio missum fuisse, ut
tum ibidem, tum in Iudæa, quæ gens erat socia & amica populi
Romani, censuram perageret. Atque ita utrumque constabit, &
quod Tertullianus habet, censur actos per Sentium Saturninum, &
quod Euangelista docet, descriptionem factam esse ηγεμονε' ουρας
αυρη'ς. Nam amplæ notionis hoc vocabulum est, & tam ex-
traordinariis quam ordinariis, tam maioribus, quam
minoribus magistratibus conferri
solet.



01 A 6590

ULB Halle 3
003 090 37X





Stk. 21 fehlt
Stk. 22 Hschr. - nicht
erfasst

V. 5 12

Rehner ✓







XL.

DEO AVSPICE
DISPUTATIONE HISTORICA,
CN. POMPEII MA-
GNI EXPEDITIONEM
IVDAICAM,

Sive
Initium ablati ab Iuda sceptri,

In Fridericiana Academia


SVB PRAESIDIO

CHRISTOPHORI CELLARII,
Eloq. & Historiar. P. P.

D. XX. Decemb. horis locoque solitis

Examini proponet

CHRISTIANVS GABRIEL Friedel/
Scaudicio-Cizensis.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTOPH SALFELD REGIM. ELECT. BRANDENS. TYP.

71 33

